

dictos pareglarios teneatur eos dominio presentare. ¶ Et quilibet piscator civis vel habitator Tergesti, qui ibit vel mittet ad piscandum ad aliquam partem, teneatur et debeat conducere dictos pisces quos fuerit piscatus in civitatem Tergesti, sub pena centum sold. par. pro quolibet et vice qualibet (qualibet) contrafacta. ¶ Excepto quam pro caso fortuito, quia tunc, si iret ad alium locum, ad nullam penam teneatur. ¶ Et quilibet piscator et etiam quelibet alia persona que conducet pisces Tergestum teneatur et debeat dictos pisces extrahere extra barcham, et eos conducere in piscaria comunis uno ictu, sub pena viginti sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta et amittendi pisces, et acusator habeat tertium condemnationum. ¶ Salvo quod, si esset tam magna quantitas piscium, que uno ictu extrahi non possit condecenter // de 171 B
15 barcha, tunc de voluntate potestatis vel iudicum ipsos pisces possint extrahere secundum quam per ipsos dominum potestatem vel iudices fuerit ordinatum. ¶ Et quelibet persona vendens pisces vendere debeat ad discopertum sine tecto, sub pena viginti sold. par. pro qualibet persona et vice qualibet
20 contrafacta. ¶ Et nulla persona sit ausa emere aliquos pisces pro aliquo forensi, sub pena viginti sold. par., et nullus piscator audeat portare vel portari facere pisces ad domum et inde postea reduci ad piscariam causa vendendi, sub pena centum sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Et
25 nullus piscator vel alia persona civis vel habitatrix Tergesti sit ausa vel presumat emere aliquos pisces in civitate vel districtu Tergesti causa revendendi, sub pena decem libr. par. et amittendi pisces, et quilibet possit acusare, et habeat tertium condemnationis. ¶ Preterea nullus piscator civis vel
30 habitator terre Mugle sit ausus piscare vel facere piscari in districtu Tergesti cum tracta retibus vel aliis ordignis, sub pena libr. decem par. pro qualibet persona contrafaciente et vice qualibet contrafacta, et acusatori adhibeatur fides cum sacramento, et habeat tertiam partem condemnationis.